


Aus Grünberg's Archiv

Nr. 59. 2.



AD

ORATIONEM ADITIALEM

DIE XVII. MENS. AVGVSTI A. CICDCCXCIX

H. L. Q. C.

A V D I E N D A M

O B S E R V A N T I S S I M E I N V I T A T

C A R O L V S F R I D E R I C V S R I C H T E R

P H I L . D O C T . E T P R O F . P V B L . E X T R A O R D .

C.

De actate libri lobi definienda.

САМІДІАНА

ПІДВІДОВЛЯЮЩА СІРІЯ

ІІІ

МАСИДІАНА

ПІДВІДОВЛЯЮЩА СІРІЯ

ІІІ СІРІЯ СІРІЯ СІРІЯ

ІІІ СІРІЯ СІРІЯ СІРІЯ

ІІІ СІРІЯ СІРІЯ СІРІЯ

PRO O E M I V M.

Quamuis in enarranda historia generis humani, vel ad maiorem virtutem et felicitatem progredientis vel inde regredientis, tum in singulis hominibus tum in vniuersis ciuitatibus recte diuidicandis scriptori historico nihil grauius et sanctius eo esse debet, vt monumentorum historicorum rationem accurate expendat, criteria veritatis interna et externa diu excutiat atque cuivis fonti historiae tradendae vera ipsius aetate vindicanda, iustum tribuat pretium, haud pauci tamen fuerunt, qui, ne dicam de iis, qui vel ob insolentiam, nescio quam, vel ob critices historicae ignorantiam huic officio parum satisfecerunt, partim praecognitis opinionibus obfuscati, aetatem scriptoris praesertim sacri iusto antiquiorem redderent, partim iniquo odio in eundem fontem historicum abrepti, verae ipsius antiquitati multum detraherent. Quicunque vero aut cupiditate quadam scriptorem amplexi sunt, aut de eo iusto iniquius statuerunt, studiis suis litteris magis nocuisse, quam profuisse censendi sunt, cum omnis historiae utilitas, quae tota pendet a veritate, partium studio, quod omnia mendacibus oculis intuetur, pereat eique in fabulam sic mutatae nulla prorsus fides relinquatur necesse fit. Quod in primis in historia Orientis antiquissima, tam in ea, quae ex profanis scriptoribus sive Graeciae sive ipsius Orientis petitur, quam in ea, quae ex auctoribus sacris hauritur, maxime ideo factum esse dolemus, quia in exponendis rebus

bus Orientis pro cuiuslibet sententia aut hos aut illos vnicē sequi sunt duces, quibus coniunctim vti debebant, ne iniuriosi essent in alterutram eorum partem. Etsi enim recentioribus temporibus inde a Baylio historicae critices auctore, maiori cura et feueriori diligentia in fontes historicos et antiquissima Orientis monumenta inquisuerunt, alii tamen vel nunc has quaestiones de origine et aetate libri vt certas nullique dubitationi obnoxias vel prorsus omittunt, vel animo feruidiori licet iustis et satis firmis argumentis substituti, vulgarem fed bene munitam sententiam deferunt. Vtroque modo v. c. peccarunt in aetate libri Iobi definienda, qui aut fere semper, primo Moses libro excepto, pro vnicō fonte antiquissimae historiae morum, consuetudinum et culturae Orientalis tam certo habitus fuit, vt huius sententiae veritati probandae repetitas curas impendere, ne opus quidem esse putarent, aut in conjecturae gratiam ad multo recentiorem aetatem remissus fuit, cui ille liber nullis argumentis vindicari potest. Vulgaris sententia, quae librum Iobi aetati ante Mosen asserit, eumque ad Patriarcharum usque tempora refert, a *Michale*¹⁾, *Eichhornio*²⁾, *Herdero*³⁾, *Niemeyero*⁴⁾ et *Ilgenio*⁵⁾ tanta argumentorum subtilitate, tanto ingenii acumine, tali orationis elegantia et eruditionis vberata defensa est, vt recentiorum plerique eos sequerentur. Ab his vero nonnulli tam longe discesserunt, vt adeo librum Iobi temporibus exilii Babylonici assignarent, quos vero et ob angustiores libelli cancellos et

- 1) In epimetro ad Lowthi de sacra poesi Hebraeorum Prael. XXXII. inde a p. 662. edit. 2dae Gotting. et in Introductionis in libros diuinos V. T. Part. Imae Fase. Imo. Michaelis enim, et si sententiam suam de Mose Iobi auctore commendare studuit, recte ad eos numeratur, qui proxime ad vulgarem sententiam de Edomitica Iobi origine accedunt.
- 2) in Introductione in V. T. ed. 2dae P. III. inde a p. 472.
- 3) in libro de genio poēeos Ebraicae T. I. inde a p. 89.
- 4) in Charactēsticis Bibliorum P. IIdae p. 480ma.
- 5) in libro de Iobi antiquissimi carminis hebraici natura atque virtutibus. Lips. 1789.

et ob minorem opinionis, quem tulit, plausum, nunc neque recensebimus, neque multis verbis refutabimus. At alias quasdam Virorum Doctorum dubitationes de aetate libri Iobi, non solum ob auctorum nomina celeberrima, sed etiam propter sententiarum, quas protulerunt, pondus, in examen vocare par est. Recentissimis enim temporibus vulgarem sententiam variis argumentis infringere et Iobo paullo seriore originem vindicare studuerunt Viri Doctissimi, Summe Reuerendi, *Iusti*⁶), *Nachigal*⁷), et in primis *Staeudlin*⁸), quorum sententia, an argumentis confirmari possit, videamus.

Argumentum libelli.

Primaria vero argumenta contra vulgarem sententiam de Edomitica Iobi origine haec fere sunt. 1) Magnae in Iobo hominum culturae et luxus haud pauci vestigia. 2) Finis Iobi theoreticus ab antiqui aei simplicitate abhorrens. 3) Virtus compositionis eximia. 4) Orationis elegantia. 5) Diversitas singularum libri partium. 6) Ingenium Ebraei in Iobo conspicuum. 7) Defectus imitationum Iobi in scriptis Ebraeorum et parallelismus Iobi cum Proverbiis et Psalmis. 8) Antiquitas libri Geneseos incerta. 9) Notitia et usus artis scribendi. 10) Difficultas Iobi librum ex gente Edomitica in canone Ebraeorum recipiendi. Quantum igitur haec momenta, quibus fortasse ali-

A 3

alia

- 6) in Dissertat. quae inserta est Memorabilium quae sub S. R. Pauli, Prof. Jenensi nomine veneant, Tom. Vto. p. 135,
- 7) in dissertat. de origine libri Iobi, quae legitur in S. R. Henckii Sylloge dissertationum ad interpretationem N. et V. T. itemque ad religionis philosophiam et historiam. P. I Tom. VI p. 89. sqq.
- 8) in Symbolis ad philosophiam et historiam religionis et vniuersae doctrinae moralis. Tom. II. p. 132. de philosophia, consilio et origine libri Iobi.

alia addunt, ad recentiorem aetatem Iobi stabilendam et ad antiquitatem eius Edomiticam labefactandam valeant, nunc exquiramus.

§. II.

Primum et primarium, quod sententiae, quae originem libri Iobi temporibus ante Mosen et regioni Edomitiae attribuit, plerique opponunt, hoc est, ut vestigia morum perpolitorum et luxus haud expectati in Iobo arcte premant, iisque libri aetatem satis superque vel ab inuitio scriptore definitam fuisse sustineant. Huc primo pertinent loca, quae potestatem regiam eiusque splendorem Iobo non solum innotuisse, sed etiam familiarem fuisse testari putantur, Cap. III, 14. 15. XII, 17. 18. XV, 24. XVIII, 14. XXXIV, 18. XXXVI, 7. nec non ob imaginem Iouae non a patre familias, sed a rege qui ciuium suorum virtutem parum curat, repetitam, Cap. IX, 11—22. et XXIII, 13. Ad eandem classem referenda sunt loca, quae armorum atque telorum diuersissimorum et machinarum bellicarum non tam peritiam quam usum produnt, magnos exercituum ordines neque paucas legionis cohortes exhibent, oppugnandi, obsidio- ne urbes cingendi, eas fossa circumuallandi et suffodendi artem nec non multifaria militiae exercitia continent. VI, 4. VII, 1. X, 17. XV, 26. XVI, 15. XIX, 12. XX, 24. 25. XXV, 3. XXX, 12—14. XLI, 20—22. Tum quoque offendunt eos, qui Iobi librum in Edomitica terra ante Mosen scriptum esse negant, notitiae accuratae aliarum artium, seniori demum tempore excultarum, v. c. rei metallurgicae, Cap. XXVIII, 4. 5. 6. 9. 10. 11. 16—19. et Astronomiae. IX, 9. XXVI, 13. XXXVIII, 31. 32. Denique mores et alia vestigia senioris aetatis sibi in his locis VIII, 8. 9. XIII, 26. XV, 28. XXXV. et XXXVI. deprehendisse videntur. Quaeritur igitur, an in terra Edomitica istarum artium et notitiarum usus iam ante Mosen extiterit? Idumaeos, inter quos iam mature florebat commercium, portu Elathensi atque Eziongebaritico in mercatura exercenda magnopere adiuto-

tos, ab India orientali et reliqua Asia merces suas accepisse atque
 in Aegyptum, itinere per Palaestinam facto, deportasse, constat
 quidem ex 1 Reg. IX, 26. 27. et 2 Reg. XVI, 6. At enim uero,
 quamuis urbium Elath et Eziongeber iam Num. XXXIII, 35. 36.
 atque Deut. 2, 8. mentio fiat inter stationes Israëlitarum per de-
 fertum, ex illis locis ab Hirami vel Salomonis demum aetate Idu-
 maeis asseri potest commercium, quod, si vel ad antiquiora tem-
 pora ultra Salomonem exsurgat, Patriarcharum tamen aeuum
 non attigisse videtur. Nam Gen. Cap. XXXVII, 25 — 28. vbi
 Iosephus a mercatoribus Ismaelicis et Midianiticis gregatim
 per terram Cananiticam proficiscentibus in Aegyptum venditus
 esse narratur, Idumaei non commemorantur, qui ab Ismaelitis
 et Medianitis diuersam gentem constituebant. Vnde fortasse
 colligi potest, Midianitas et Ismaelitas in alias terras deportasse
 merces, quas ab Idumaeis acceperant, ad quos mari terraque ex
 remotis regionibus varii earum prouentus adducebantur. Sit
 vero, vt iam ante Mosen, quod non omni dubitatione caret, non
 solum portus Idumaeorum ab aliis gentibus frequentarentur, sed
 ipsi quoque in Sinu Arabico mercaturam facerent, num illico
 statim omnium illarum artium notitiam et usum obtinuerunt?
 Num Midianitae et Ismaelitae, qui eadem negotia tractarunt,
 ad tam altum culturae gradum adscenderunt, quem Idumaeis
 tribuunt? Cur his contigerunt mores politi, lingua exculta et
 alia commoda societatis ciuilis, sine qua Edomitaram urbes a
 Iobo descriptae nullo pacto cogitari possunt? Cur illi non eo-
 dem successu nec eadem celeritate negotiorum suorum fructus
 experti sunt? Nonne tibi potius, temporis decursu nauigatio-
 ne Edomitarum ampliori facta, commercium eorum latius pa-
 tuisse videtur, ita, vt vero propiores Mosis temporibus et ante
 eum propter innumera impedimenta et pericula, quae nauigan-
 tibus tunc imminebant, prima huius artis molimina, et inde a
 Mose usque ad Salomonem per quingentos fere annos maiora
 ipsius incrementa facta esse statuamus? Tenuia enim initia,
 quae reliquae gentes praeter Phoenices in mari nauigando fe-
 erant, disertis historiae testimonii deficientibus, nos opinari
 vetant,

VIII

vetant, Idumaeis iam inde ab antiquissimis temporibus quaecunque amplissimi commercii fuisse commoda et incommoda, artes, rerum notitias, instituta atque luxuriem. Neque igitur tam late patuit, qualis vulgo fuisse praedicatur Edomitarum mercatura, neque eos, si vel tam late patuerit, per eam omnes illas artes et notitias, quae ex Iobo elucent, nactos esse probabile duco, quia v. c. rei metallurgicae interior cognitio tot excutas artes prodit, quot vix ante Mosen floruerunt. Deinde, et si Idumaeis octo ante Dauidem fuerunt reges, et Num. XX, 14 — 21. rex Edomitarum cominmemoratur, qui populo Israëlitico transitum per fines Idumaeorum recusauit, tamen ultra Mosis tempora regnum Edomitarum vix adscendit, neque illud Patriarcharum aeuo iam in vsu esse potuit, cui vulgo Iobi librum tribuunt, in quo libro regnorum tamen mutationes, regum successiones, eorumque libidines et arbitria tam frequenter describuntur, ut reges, neque tantum ornatus causa, neque ut imagines rei plane incognitae in Iobo adesse possint, quae eorum est sententia parum veri similis, qui et ipsi ab antiquissimis temporibus dignitatem regiam alienam fuisse censem. Nolo vero nunc alte repetere et singula excutere loca per se clara, nullique ambiguati obnoxia, modo laudata, quae regum mores Iobo familiares fuisse probant, sed sententiam prolatam inferius aliis quibusdam argumentis confirmare studebo. Profecto Edomitarum cultura non tanta describi potest, quanta ab his sumitur, qui Iobum ab Edomitis ante Mosen scriptum fuisse ingenio magis ducti existimant, quam historia, quae nobis potius de contrario persuadet. Omnia enim argumenta pro antiquitate scientiae tam variarum rerum et artium incertis fundamentis historicis imo meritis conjecturis nituntur, quae, si hac in quaestione definienda valent, opinioni nostrae de seniori aetate Iobi, ob multa ingenii exculti, artium perpolitarum et morum emollitorum in eo vestigia, magnum addere debent pondus, quia omni veteri terrarum orbi parvus notitiarum fuit modus. Quod si vero neque ex commercio ampliori, quale Phoenicum erat, neque ex perfectiori, societatis ciuilis forma, quae apud gentes Orientis praecipue fuit

fuit regia, ad Idumaeos redundarit artium et notitiarum larga copia, nullus fons superesse videtur, ex quo illae Idumaeorum virtutes deriuari possint. Altiores itaque ingenii et morum progressus, satis grauem iudicandam censem causam, propter quam Iobi liber, ab aetate ante Mosen alienus, iudicari debeat.

§. III.

Transeamus ad aliud argumentum, quo senior Iobi aetas dirimi posse videtur, et spectemus, vtrum finis libri Iobi theoreticus ab antiqui aeuī simplicitate et feritate abhorreat, an cum ea conueniat? Quodcumque vero Iobo tribus consilium, quicquid sententiae auctor eius potissimum spectauerit, et in quam diuersas partes interpretes de vltimo libri fine discesserint, hoc certum manet atque indubitatum, varia in Iobo proponi responsa de summi numinis sapientissima cura circa res humanas, commendari ab eo aequitatem diuinam in forte cuius mortalium distributa, et instituta Dei ab iniquo hominum vituperio in eo defendi. Nonne vero hoc est hominis, multum experti, non solum suis et aliorum fatis edocti, sed etiam obseruando rerum nexui assuefacti? Nonne studium vindicandae iustitiae diuinæ ex rerum natura perfectissima et hominum vita prodit aetatem contemplando et meditando satis exercitatam? Nonne talis quaestio postulat ingenium temporum vicissitudine subactum? Frequenter enim iniqua proborum sorte et improborum felicitate obseruanda, et inde ductis dubitationibus, quae contra sanctitatem Dei mouebantur, aliquis demum adduci poterat, vt Deum talem sisleret, in quem falsa ista crimina non cadant. Quum vero haec dubitationes, de bonis et malis inique distributis, aetate magnopere perpolita et fere in peius mutata exoriri soleant, et argumenta, quibus falsa ista opinio impugnatur, tunc demum exspectari possint, quando maiores in contemplando et iudicando fecerunt progressus, efficitur, Iobum non ex tam remotis temporibus deriuari posse, imo senioribus annis esse tribuendum, qui, ob maiorem morum deprarationem et ob melio-

rem ingenii culturam, eius originem optime explicant. Tale vero argumentum, quale Iobi est, tam antiquis temporibus nullo modo conuenire, iam ex aliorum populorum historia apparet, qui potius narrando, virtute singulorum laudanda et morte dilectorum lugenda, scribendi periculum fecerunt. Neque enim a disceptationibus metaphysicis ventilandis et a nodis philosophiae extricandis prima initia cogitandi et cogitata in unum coniungendi facta esse, ulli persuadebis, qui et hac in re auctoritatem Homeris sive Graecorum tenet, quibus ante Homericum nullus extitit philosophus, sed varii poëtae, quorum carmina deperdita sunt. Qua de causa Iobi liber vix in fronte omnium omnino librorum, quos tum Oriens, tum Occidens protulit, flare poterit, quem Oriens in primis tam subtili quaestione seniori deinceps aetate delectari coepit, qua Dauides, Assaphus, Salomo et alii, tum sua ipsorum experientia permoti, tum in aliorum usum et solatium talia argumenta, ut ex Psalmis et libris Salomoneis patet, frequentius tractarunt. Quod si igitur Iobi auctor ad scriptores philosophos i. e. ad eos, qui rerum humanarum et diuinarum causas cognoscere student, referri debet, quia ex reconditis scientiae thesauris rem fatis difficilem expedire ausus est, simul eorum opinioni respondet, qui hoc praeferunt pro Edomitica Iobi patria urgunt, ut Iobi liber non solum omnem Patriarcharum, sed etiam vniuersam Israelitarum historiam ignoret, quae tamen multis exemplis rerum, a Deo creatarum, ordinem sapientissime institutum illustrare potuisset. Recte vero, ex fine scriptoris theoretico et rerum notitia fatis accurata, huic dubitationi sic occurrere licet, ut demonstremus, consilium auctoris, qui totam rem ex sua ipsius experientia et argumentis philosophicis confidere voluit, omnem exclusisse historiae auctoritatem. Ex historia enim ad hanc quaestionem respondere, prorsus alienum erat ab ingenio et indeole scriptoris nostri, qui ex instituto trita via incedere noluit, sed suo modo de his disputare conatus est. Etsi quidem omnia historiae Israëliticae vestigia in Iobo negari non possunt, quae suo loco proferemus, scriptoris consilium nos tamen edocet, cur in dubitatione

tione soluenda non late in campum historiae Ebraeorum excurrerit. Deinde vñus rerum, a Patriarchis gestarum, in Iobo parcus haud dubie simul a fictione poëtae pendet, qui Arabiam neque Palaestinam fabulae scenam esse voluit, quae vero exempla ab Ebraeorum historia petita immiscere vetabat. Cur autem Arabiam auctor Iobi patriam fecerit, partim ex traditionis cuiusdam momentis de tali rerum vicissitudine, quam quis ibi expertus erat, partim ex consilio rem ex variis partibus explorandi, cui Arabum mos, quaestionem per confessus pertractandi, optimè respondebat, facile explicari potest. Quia igitur consilium, quod auctor libri Iobi spectauit, ab aevo antiquissimo alienissimum fuit, in hoc ipso argumento causa satis idonea inesse videatur, ob quam Iobi aetas ad longe seniora tempora referenda est.

§. IV.

Tertio loco videamus de artificiosa Iobi structura. Vno ore omnes, quibus hac de re competit iudicium, virtutes poëticas et fictionis praestantiam in Iobo laudent, quam igitur multis demonstrare non opus est, quum nullus vñquam hac de re dubitauerit. Cernitur vero ista componendi ars potissimum in his, vt omnes ac singulæ partes prologi, Iobi, aduersariorum ipsius, Iouæ et epilogi amice conspicient atque vnum duntaxat efficiant et simplex, hoc nimirum, caute esse de rebus diuinis iudicandum. Alia causa harum laudum nititur in eo, quod singularis personis suos cuique mores et indolem a quoquis alio subiecto diuersam auctor dederit, vnde magna non solum ingenii sed etiam eruditionis elucet virtus. Alia enim est Iobi, alia Eliphasi, alia Bildadi et Zophari, alia Elihui est facies, quorum decus et ornatum splendor in persona Iouæ conspicuus longe antecellit. Quae vero ars et poëtae dexteritas tanto maior est, quanto similiores sibi inuicem sunt omnes hæc personæ et quanto minor itaque in his imaginibus deprehenditur diuersitas, quæ tamen ab auctore tam perfecte est expressa, vt profecto artis et subtilitatis encomium ei iure meritoque debeatur. Por-

ro, quod peritissimum et eruditissimum artificem probat, haec ingeniorum diuersitas non modo in sententiis proferendis servata est, sed valet adeo de orationis delectu. De Elihuo quidem adhuc sub iudice lis est, quamvis eorum sententiae, qui eum pro subtilissimo et acutissimo Iobi aduersario habent, iudicii maturitas et perspicacia, quae in ipsis sermonibus est insignis, magnopere fauere videtur. Zopharum vero, tenuem Bildadi imitatem, superat Bildadus sententiarum vi atque orationis acerbitate. Bildadum vincit Eliphas, et modestiae laude et sapientiae diuinae copia. Ab Eliphaſo totus iterum differt Iobus, acerrimo iniuriarum et aerumnarum sensu, ingenii alacritate atque vigore, nec non linguae floribus amoenissimis. Ex ore filius Iouae veniunt dicta, quae inter omnes reliquorum sermones et sapientia et sublimitate eminent. At enim vero, nec in his virtutibus omnis nititur auctoris laus, imo hac arte augetur, vt non solum singulis personis, sed etiam vniuerso rerum nexui semper maiora et sensuum et affectuum incrementa dederit, atque continuis progressibus in concertantium sermonibus hoc efficerit, vt orationis vis et grauitas semper augeretur et ad ultima Iouae verba cresceret. Quanta enim est imaginum et exemplorum in Iobo varietas! Quanta debet esse scriptoris eruditio, qui de eadem re, non nisi ex uberrimo notitiarum fonte atque praestantissima ingenii vena, tam diuersas easque elegantissimas instituere potest comparationes! Verum enim vero si tanta fuerit auctori ars et poetica virtus, quam nullus ei denegat, num haec ipsis eruditio cadet in tempora, summae antiquitatis, nondum culta?

§. V.

Accedit aliud argumentum, cum illo arctissime coniunctum, ab orationis Iobae ornatu, cultu et splendore ductum, quod in dirimenda auctoris aetate maximi est momenti. Fac enim, vt in terra Edomitica liber Iobi ante Mosen conscriptus sit, a quo tandem seculo lingua Ebraeorum coli debuit, vt ei omnes illae virtutes

tutes esse possent, quibus in Iobo floret. Quam pauci fuerunt Abrahamiticae gentis socii, quam rara extitit ipsis linguae formanda occasio! Quam mature Semitarum lingua, ex omnium populorum analogia, in singulis eorum gentibus a se inuicem differre coepit! Quam angustis limitibus Ebraeorum dialectus fuit restricta, quae solis Abrahami posteris, Arabiam atque Palaestinam incolentibus, in vsu fuit! Quamuis enim Abrahami tellus patria, Aramaea septentrionalis, eodem auctore cum Ebraeis gaudebat, mox tamen dialectus Aramaeorum septentrionalium diversa facta est, quia planior Aramaee regio sonos eorum atque voces paululum inflectebat, quod tum inde potissimum probatur, ut inter Aramaeos et Ebraeos nulla omnino intercederet necessitudo, tum ex historia temporum Hiskiae, cuius aetate Assyriis dialectus ab Ebraica plane diuersa extitit. cf. Ief. XXXVI, 11. Num vero per quadringentos annos (tot enim fere sunt ab Abraham ex Aramaea septentrionali migrante, vsque ad Mosis exitum ex Aegypto) splendidissima linguae Ebraicae vestis, quae Iobi sermonem ornat, indui poterat? Homer quidem Ilyas et Odysea linguae elegantia, vi et facilitate quoque inter omnia Graecorum scripta eminet, at modo cogita, quot poëtae ante Homericum linguam exculerint, et quantae fuerint res a Graecis in bello Troiano gestae, quod maximi erat momenti in moribus Graecorum efformandis atque in lingua ipsorum perpolienda. Nonne vero in Ebraeorum historia nos in stuporem raperet antiquissimum, idemque politissimum Iobi carmen, in fronte omnium omnino scriptorum positum? Nonne orationis ornatus et elegantia, quam in Iobo miramur, aetatem ante Mosen eo magis superat, quo certius est ex vulgari sententia, nullos poëtas atque philosophos ante Iobum inter Ebraeos extitisse? Quare Iobus non tam audacter antiquissimae aetati imo prudentius et analogiae historicae conuenientius, senioribus temporibus tribui debet, quorum vires tam perfectum opus haud excedit.

Vt vero feriorem aetatem libri Iobi firmius euincamus, ad nouum illud argumentum progrediamur, quod sepe nobis in diversitate singularum Iobi partium offert. Nemo prologi et epilogi nec non Elihui sermonum indeolem a reliquorum orationibus diuersam negare potest, quae diuersitas non solum ad verborum delectum, sed etiam ad rerum et notitiarum modum spectat. Nam in Iobi prologo et epilogo tenuis et mere historica oratio deprehenditur, quae a poetae ingenio haud minus aliena iudicanda erit, ac notitia mali spiritus, qui in terra perlustranda, hominum felicitati inuidus, nihil tam studiose nisi labes et vitia mortalium exquirit. Nullibi locorum haec mali angeli notio in Iobo recurrat, et, si vel de spirituum, Deo longe inferiorum, natura quaedam ibi dicantur; IV, 8. XV, 15. multum tamen differt ab his imago Satanae, hominum virtuti insidiantis deque eorum lapsu exultantis, quam Prologus describit. Quibus de causis iam A. Schultensius, in commentario in Iobum et H. A. Schultensius, in noua Iobi versione, a Munthingio continuata, nec non alii prologum et epilogum seniori demum tempore additum esse contenderunt, quos quippe orationis diuersitas et languidior introitus in ipsum carmen acrioris sensus eodem modo offendit, quo Satanae notitiam a temporibus ante exilium Babylonicum alienam esse iudicarunt. Quum enim duobus tantummodo locis, in exilio Babylonico scriptis, 1 Reg. XXII, 19—23. coll. 2 Chron. XVIII, 18—22. et Zach. III, 1—4. Satanae mentio fiat, manifesto inde prologi et epilogi in Iobum senior aetas demonstratur, quae nullo pacto exilium Babylonicum excedere potest. Frustra enim a te omnis impeditur opera, qua in eo allaboras, vt notionem Satanae in Iobo vel mitigare, vel Edomitiae terrae et antiquiori aetati eam, vt haud ineptam, vindicare studeas. Quodsi vero exilio Babylonico paucissima tantum pars Iobi asseri debebat, alia eius capita, XXXII — XXXVII, Elihui sermones continentia, mihi quoque senioris originis ac reliqua esse videntur. Nolo quidem vrgere locum XXXIII, 23 et 24. qui ex vulgari inter-
preta-

pretatione, angelorum doctrinae satis exculta, quae aetatem longe seriorem sapit, testis est idoneus, quoniam nunc aliam plerique Sehnurrero duce sententiam sequuntur. Sed, ut hoc statuam, non solum tranquillior et ab omni vehementiori affectu liberior Elihui oratio, sed etiam perspicacius ingenii acumen, amplior eruditionis copia et clarior sermonum eius lux mihi eo firmius persuasit, quo magis mores et notitiae Elihui a reliquis ita abhorrent, ut haec diuersitas non arti poëtae, sed discrimini natuuo tribui possit. Quae quidem orationis et sententiarum in Elihui sermonibus diuersitas, mihi non solum diuersum scriptorem, sed etiam diuersum tempus, quo horum et reliquorum sermonum auctor vixerit, arguere videtur, quia ea aetate, qua Elihuus homines iam de consilio Dei sapientissimo edocet, ex quo, in immittendis plagis, hominum emendationem atque virtutem exploreat, vix eo modo ad has quaestiones responsum fuisset, quo Eliphafus et Bildadus nec non ipse Iobus vtuntur. Haec intelligentiae praestantia, in Elihuo conspicua, quae ipsis palmam ab aliis male erectam rursus vindicat, nos impedit, quo minus Elihui sermones aetati tribuamus, ad quam reliqua Iobi pars referenda est. Nam seniori demum tempori conuenit illa sapientia, qua Elihuus de rebus humanis atque diuinis iudicat, quaeque non est temporum antiquiorum, sed excultorum et magnis rerum conuersionibus exagitatorum. Nonne igitur haec quoque libri pars, quae Elihui sermones continet, magnopere cum patria Edomitica et aetate antiquiori pugnat, quam toti Iobo vulgo tribuunt? Num Edomitas antiquissimis temporibus tam prudenter, de rebus humanis atque diuinis iudicasse probabile est? Vereor, ne ii, qui Edomitae summae sapientiae laudem vindicare cupiunt, omni veri specie destituti, haec autument. Remanet igitur Eliphafus, Bildadi, Zophari, Iobi et Iouae sermonum aetas adhuc incerta, quam in sequentibus accuratius definiendi erit locus.

§. VII.

Quia vero, si de aetate Iobi quaeritur, potissimum discepatur, vtrum ab Edomita vel alio Ebraeorum cognato, an ab Ebraeo

XVI

Ebraeo Palaestinensi liber eius originem trahat, hoc igitur in primis expediendum erit, quisnam Iobi librum conscriperit. Etsi quidem praesertim ob satis accuratam Arabiae et Aegypti notitiam multa remanent dubia, quae hanc quaestionem impediunt, haud obscura tamen Ebraei auctoris vestigia adlunt, qui profecto non ante Mosen scriptis, sed ea demum aetate vixit, qua hunc carmen ab Ebraeis expectari poterat. Ebraeorum enim ingenium redolet hominum et angelorum vitiositas, a Iobo C. IV, 17—21. XIV, 4. XV, 14. 15. XXV, 4. descripta. Cum Genesi et aliis quam plurimis locis concordat Iobus, in creatione omnium rerum et in primis hominum depingenda, quod videre licet ex Cap. IX, 8. X, 9. 10. XV, 7. XX, 4. XXVII, 3. XXXI, 15. XXXII, 8. Ad diluuium Noachiticum aperte respicitur; XII, 16. XXII, 15. 16. Ab iisdem criminibus Iobus se liberum ait, quae ut maxime detestanda, iisdem paene verbis a Mose describuntur. Deut. XXIV, tot. XXVII, 17. 19. Leu. XIX, 9. 10. XXV, 2—6. coll. Iob. XXIV, 2—4. 6—7. 9—11. XXXI, 16—20. Deut. XVII, 3. coll. Iob. XXXI, 26. 27. 32. 33. Sapientiae personam eodem modo Iobus depingit, XXVIII, 12. 28. quo Prou. C. VIII. descripta legitur. Sic et Iordanes XL, 23. auctorem de gente Ebraeorum innuit. Scio quidem, patronos vulgaris sententiae multa regerere loca, e quibus Arabiae coelum et regio tam clare eluceat, ut potius ad Arabem quam ad Ebraeum liber Iobi sit referendus, sed nihilominus sententiam meam hoc argumento tueri posse mihi video, quod Arabs tam antiquae aetatis nihil omnino ab Ebraeorum gente, a Mose demum condita, repetere potuerit, Ebraeo autem ad aevi prioris mores commode redeundi fuerit facultas. Illud quis neget Arabiae et Aegypti varia in Iobo deprehendi vestigia? At has notitias antiquioris aetatis et externarum terrarum Ebraeo, itineris in Arabiam et Aegyptum facti, siue commercii ope, vindicare audeo; quia haec peregrinarum regionum scientia, Salomonis temporibus, Ebraeo tanto facilius comparari poterat, quanto arctiori vinculo Ebraei, tunc temporis, cum externis regionibus coniuncti tenebantur. Huius generis sunt loca, de serpentum incantatoribus, III, 8. cf. Leu. XIX,

26. XXXI, 6. 20. LVIII, 5. 6. Ier. VIII, 17. Eccl. X, 11. de flu-
 viis aestu solis torrefactis Iob. V, 15. 18. 19. de Nilo atque balac-
 na VII, 12. de papyro VIII, 11. 12. de solis nomine Aegyptiis
 visitato IX, 7. de nauibus ex papyro factis IX, 26. de more populi
 ad iudicia conuocati XI, 10. de imagine felicissimi Arabum prin-
 cipis XI, 18. 19. de cippi et notarum inustarum vsu XIII, 27. de
 caedis vltione XVI, 19. de igne in domo nobilioris Arabis incen-
 so XVIII, 7. de silicibus in tumulum congestis XXI, 33. de falsis
 olerum foliis et radicibus XXX, 4. de Hippopotamo et Crocodilo
 XL. et XLI. Quae quidem omnia Arabiae et Aegypti vestigia,
 quibus vix plura addere licet, ita sunt comparata, vt Ebraeus,
 cum intuendo tum audiendo, et fama et adspectu, has notitias
 sibi conciliare potuerit, quae insuper non accuratissimam, sed ali-
 quam tantummodo harum rerum scientiam produnt. Itineribus
 autem in Aegyptum et Arabiam factis, quae non solum commer-
 cii, sed etiam alius necessitudinis causa a Davide et Salomone sus-
 cepta sunt, cur non Iobi auctor facile interesse potuit, qui pro-
 fecto et ipse sua negotia tractasse, neque vnice litteris vacasse cen-
 fendus est? Libri historici nos quidem hic desituunt, quippe
 qui paucissima tantum itinera in terras externas facta commemo-
 rant; at hi ne tunc quidem, quando res est certa, vt in connu-
 bio Salomonis cum filia regis Aegypti, tale iter susceptum esse
 narrant, quod scriptoribus rerum historicarum non tam memo-
 ria dignum videbatur, quam caedes et pugnae. Silentium igitur
 librorum historicorum hac in re non est tanti momenti, vt
 ea de causa, quia sine harum terrarum adspectu et notitia haud
 scribi poterat, Ebraeo Iobi liber denegandus esset. Nam Salo-
 monis aetate, cui ob sumimam morum culturam, luxum, splende-
 rem et florens commercium Iobi liber optime conuenit, vere
 quorundam itinercum in terras externas Ophir et Tarschisch fac-
 torum atque aduentus reginae Arabum in Palaestina fit mentio;
 vnde igitur tum temporis non solum consuetudinem quandam
 inter Ebraeos et alias gentes extitisse appareat, sed etiam silentio
 de aliis itineribus Ebraeorum vis maxima eripitur. Optimum
 autem esse duco, nullum nominatum laudare, qui Iobum com-
 posuerit,

XVIII

posuerit, quia omnis historia nos hac in re destituit, quae tamen sine disertis testimoniosis vix confici potest. Quare nec sententiae *S. R. Staedlinii* adstipulari possum, qui, quanquam et ipse a sententia sua discessit, eorum tamen partibus fauere videatur, qui Salomonem pro auctore Iobi habent, a cuius ingenio Iobi indoles multum vero differt. Satis est in Iobi libro ingenium Ebraic et Palaestinæ vestigia inuenisse, quae Ebraicum auctorem indicant, qui vero tali Arabiae et Aegypti notitia fuerit imbutus, ut mores istarum gentium depingere posset. Hoc enim ipsius consilium postulabat, ex quo ultra legem Mosaicam sapere volebat, quam ei vix deserere licuisset, si libri scenam esse voluisset Palaestinam. Quodsi vero Iobi auctor Ebraeus fuit⁹⁾, origo reliquarum Iobi partium, nondum certo definitarum, temporibus ante Salomonem hac ipsa de causa nullo modo assignari potest, quoniam antea omnibus illis adminiculis Ebraei fuerunt destituti, quibus opus erat auctori Aegypti, Arabiae nec non aliarum rerum et artium peritissimo. In unum quidem Mosen cadit vtrumque et Arabiae et Aegypti notitia accurata, sed nolo repeter argumenta, quibus *Eichhornius*¹⁰⁾ et *H. A. Schultensius*¹¹⁾ coniecturam Michaelis, de Mose Iobi auctore, non tam impugnasse, quam profligasse videntur. De Iobo ipso, seu Elihuo carminis nostri auctore, nulla valet disceptatio, quare has coniecturas silentio premere malo. Quod si non ita multo ante Salomonem Iobi carmen pandi potuit, neque post Salomonem ea rerum facies iterum extitit, quae huic carmini componendo fauaret, sequitur, maximam Iobi partem aetati Salomoneae esse tribuendam. Sed fatis de hoc.

§. VIII.

Transeamus ad nouum argumentum, quo vulgaris sententia de Iobi aetate infringi et senior eius origo commendari potest,
quod-

9) cf. Aug. Calmet Prolegg. ad Iobum p. 327.

10) in *Introduct. in V. T. P. III* §. 643. et in *Ipsius Bibliotheca Vniuersitatis Litterarum Biblicarum Vol. I. Fasc. III.* p. 455. sqq.

11) in *versione Iobi a Münthingio continuata* p. 9 sqq.

quodque in eo ineſt, vt nulla omnino neque totius carminis neque singuli loci, Iobum imitantis, vestigia in Ebraeorum scriptis deprehendantur. Nonne autem plures Israēlitae, si vel a Dauide, vel adeo a Mōse ab Edomitis ad Ebraeos perlatus effet Iobi liber, qui tantopere in reliquiis litterarum Ebraicarum eminet, carmen nostrum siue totum, siue ex parte, imitati effent? Quod tum Mōsis tum Dauidis exemplum, ab Ebraeis fideliter expressum, nos eo confidentius expectare iubet, quo magis lumina et flores orationis Iobae animum lectoris feriant et scriptorem ad imitandum rapiant necesse est, id quod nullibi factum miramur. Qui enim fieri poterat, vt tale carmen lectores non magnopere moueret, nisi, quia non multum ante illud tempus compositum est, quo Ebraeos, ob motas populi turbas et miseram ipsius conditionem, verfandis poētarum scriptis non eo amplius studio incubuisse constat, quo Iobi librum plerique poētarum ex aetate Davidica et in primis ipse Dauides imitati fuissent, si eorum aetate inter Ebraeos iam extitisset? E contrario multa in Psalmis et scriptis Salomoneis occurrunt loca, similem scientiae modum et idem fere religionis studium spirantia, ex communi haud dubie fonte deriuanda, qui tum in Iobum, tum in Psalmis et Prouerbio manauit. Exempla lōcorum, cum Iobi sermonibus paraleolorum, vt ex Psalmis, ita ex Prouerbīis vide congesta, a Baumgartenio¹²⁾ et Reimaro¹³⁾; neque hanc sententiam, de Psalmis et Prouerbīis, Iobo nonnunquam simillimus, multis locis probare, opus esse duco, quia omnis, qui haec scripta sedulo et accurate legit, hanc concordiam Iobi cum Prouerbīis et Psalmis ipse sentiet atque lubens concedet. Denique haec loca in Psalmis et Prouerbīis cum Iobo paralela, quae satis frequenter lectori seſe offerrunt, multum ab imitationibus proprie ſic dictis differre, neque ea ſeriorem vſum Iobi, ſed communem et aetatis et culturae gradum ac fontem innuere, nemo non intelliget. Quare Iobi carmen, ob quādam similitudinem, quam illud cum Prouerbīis et Psalmis refert, quorum maxima pars inde a Dauide vsque ad Sa-

C 2

lomo-

12) v. S. I. Baumgartenii interpretatio libri Iobi P. L. p. 28.

13) cf. H. S. Reimari Praefatio ad Hofmannianam Iobi explicationem 8, 2.

lomonem composita fuit, eidem tempori, cui Proverbia et Psalmos debemus, adiudicandum esse arbitror.

§. IX.

Aliud porro argumentum, quo antiquitatem Iobi summae confirmare conantur, repetunt ab antiquitate Geneseos, Mosen superante, ex qua mores et instituta, quorum in Iobo fit mentio, tam praeclare illustrari possint, ut qui Geneseos antiquitatem affirmauerit, is et eam Iobi afferuisse videatur. Verum enim vero, recentissimis temporibus tot et tantae difficultates motae sunt, quae antiquitati libri Geneseos, ante Mosen compositi, opponerentur, ut profecto haud leuis dubitatio, de Geneseos antiquitate exorta, simul eam Iobi necessario infringat. Non solum enim, quod et ipsum scribendi quandam morem et habitum antiquissimis temporibus vindicaret, Geneseos singula monumenta ab Eichhornio et Ilgenio accuratissime separari, sed etiam a *Nachti-gallo*.¹⁴⁾ multa senioris aetatis indicia detegi potuerunt, quae vix permittunt, ut Geneseos liber totus sit summae antiquitatis. Lingua, v. g. quae in Genesi viget, a librorum historicorum oratione tam parum discedit, ut Genesis et reliqui libri historici tantum temporis vix a se inuicem distare possint, quantum inde a Mose usque ad Samuelis aetatem praeterlapsum est. Vnde vero iste consensus linguae in Genesi et in libris historicis? Num apud Ebraeos iam ante Mosen idem fuit linguae ingenium, quod Davidis temporibus in ea floruit? Cur alia monumenta litterarum Ebraicarum ex diuersis temporibus tantopere differunt? Nonne vero indoles linguae, ei semel propria, quam semper eandem fuisse volunt, omne orationis discriminem excluderet? At psalmorum antiquiorum linguam esse diuersam ab ea seniorum, et Esaiam non solum ingenio, sed etiam oratione, a Ieremia differre, quis neget? Multa quidem patrum nomina et facta, lapidibus iam ante Mosen exsculpta extitisse, et alia posteriorum

memor.

14) in Henckii Sylloge dissertatt. ad phil. interpr. et historiam religionis Tom. II. Fasc. 3. p. 433 fqq. Tom. IV. Fasc. I. p. 1 fqq. Fasc. II. p. 329 fqq.

memoriae mandata fuisse, omnis Orientis historia et rei necessitas docet, quoniam sine vllis omnino monumentis, folius memoriae ope, Abrahami res et fata nullo modo seruari potuissent. At inde nondum colligi potest, iam ante Mosen monumenta extitisse scripta, ab ipso demum congesta, quae potius a senioribus scriptoribus exarata videntur, quibus et ex monumentis lapideis et ex ipsorum memoria fons historiae uberrimus manabat. Post Mosen, vel adhuc seniori aetate, quae v. c. ex Gen. XXXVI, 31. elucet, (vt vnum tantummodo e pluribus *) locum commorem, Geneeos monumenta conscribi potuisse, negari saltem nequit. Vtrum vero maturius an seniora scripta sint, nunc non dirimere audeo, tum quia hoc argumentum modo tangere, neque vero ob libelli angustias pertractare licebat, tum, quoniam consilio meo satisfactum esse putabam, si lectores saltem monussem, de aetate libri Geneeos dubitari, neque antiquitatem libri Iobi, incerta Geneeos origine, confirmari posse.

§. X.

Hanc enim de recentiori Geneeos et Iobi aetate sententiam hoc in primis commendat, vt artem scribendi, i. e. non solum dexteritatem singulas litteras vlla materia satis commoda pingendi, sed etiam habitum quandam in litteris signandis, Ebraicis iam inde ab antiquissimis temporibus fuisse, aegre tibi persuadeas, quia hoc inuentum per se difficillimum, quod politissimis gentibus fero innotuit, apud Ebraeos non ea celeritate et facilitate diuulgari potuit, qua omnes ii, huius rei incrementa facta esse sumunt, qui diu ante Mosen non solum litteras Alphabeti, sed etiam artem et usum scribendi, Ebraicis a Phoenicibus contigisse, contendunt. Sit, vt mature Phoenicum litterae ad Ebraeos transirent, sit adeo, vt ante Mosen lapidibus insculperent et in petris nomina exararent, quis tandem, Orientis peritus, in conditione populi miserrima, qualis Iudeorum in Aegypto erat, quadam veri specie opinabitur, vel iam tum Ebraicis scribendi artem fuisse tritam, vel Edomitis, seu rem pecuariam sive mercatu-

C 3

catu-

*) Exod. VI, 26. 27. XI, 10. 15. Num. VII, 21. Deut. I, 1. XXXIII, 4. 5.

caturam tractantibus, quae tunc temporis semper ore neque litteris exerceri solebat, in vsu fuisse? Concedamus, Mosen scribendi artem Phoeniciam seu Phoenico-Aegyptiam calluisse, num inter tot et tanta negotia hancce artem magnopere coluisse videatur? Num illico, si vel ea Moses quodammodo in lege ferenda vñus sit, cuius Ebraeorum tam communis et vulgaris fuit scribendi notitia, vt confessim sine omni difficultate Geneseos et Iob librum nec non omnem Pentateuchum conscribere possent? Quum illud omnem historiae fidem atque analogiam offendat, is, qui tam facilis negotio scribendi artem populo vel antiquissimo tribuit, huius rei impedimenta grauissima non satis ponderasse, imo de nostri aeui agilitate in scribendo cogitasse videtur. Si vero Homeri aetate, artem scribendi Graecis nondum cognitam et visitatam fuisse, ab Illustri *Wolfo*¹⁵⁾ ita probatum est, vt omnem lectoris animo dubitationem eximeret, sequitur, Mosen, quingentos fere annos Homero antiquorem, vix illam artem tenuisse, multo minus, vniuersos Ebraeos hoc inuento iam sic vños esse, vt libri haud parui voluminis ab iis commode conscribentur. Scripturae vero vñus, non solum ex Iobo ipso, sed etiam nominativi e locis duobus apparet, nimirum ex Cap. XIII, 26. et XIX, 23 et 24. quae igitur aetatem produnt, cui haec inuenta iam diu usurpata fuerunt. Nihil autem adest, quod nos statuere cogat, Ebraeos antiquiores iam artis scribendi fuisse peritos. In decalogo enim proponendo, aut ars litteras tabulis lapideis insculpendi Mosi sufficit, quia in his legibus exarandis verbis paucissimis defungi poterat, aut Moses, scribendi artem in Aegypto edocitus, solum decalogum cuti neque linteis, vel chartae Pergamena seu papyraceae, cuius materiae vñus ab aevo antiquissimo alienus erat, inscrispit. Moses enim legibus quidem ferendis et ciuitati Israëlitarum condendae, neque vero legibus conscribendis, vel historiae litteris consignandae incubuisse, censendus est, quoniam vita eius, plurimis et diuerissimis negotiis distracta, vix scribendo impendi poterat, neque a Mose maximam partem legum ritualium, ob nimiam fere rerum minutissimarum curam, sed potius a

15) in Prolegg. ad Homerum §. XII — XXVI.

Leui-

Leuitis in ipsa Palaestina promulgatam fuisse, credibile est. Cur vero primordia artis scribendi in libris historicis non commemo-
rentur, ex nostra coniectura facile intelligitur, quia fortassis ru-
dimenta huius artis a Mose Leuitis tradita, paullatim modo ex-
ulta, Ebraeis ita innotuerunt, ut ars inuenta initio omnes fere-
lateret, deinde a paucissimis tantum teneretur, sive memoria
minus digna haberetur¹⁶⁾.

§. XI.

Noua vero difficultas exoritur, si vel Edomitae mature scri-
bendi artem calluisse concedas, haec nimirum, vix extricari posse
modum, quo in Ebraeorum canone Iobi carmen fuerit rece-
ptum. Si enim Ebraei per Mosen Iobi librum ab Edomitae acce-
pissent, scriptis, quae sub eius nomine veniunt, additus fuisset,
neque Samaritani, qui nihil nisi ea, quae Mosis tribuuntur, ad-
miserunt, solum Pentateuchum, sed etiam Iobum suscepissent.
Quid inde sequatur, quod Iobus ab his non receptus fuerit, nul-
la eget demonstratione, quia nulla alia causa, cur Iobum Mosis
scriptis non adnumerarint, cogitari potest, nisi haec, quod Iobi
carmen tum temporis, quem decem tribus a Rehabeamo defice-
rent, nondum ad Mosen, sed ad longe recentiorem scriptorem re-
latum fuit. Si vero, qui per Dauidem in expeditione, contra
Edomitae facta, Iobi carmen a deuictis inter spolia reportatum fu-
isse opinantur, aliis neque minoribus difficultatibus consticti,
vix prius opinionem suam nobis probabunt, quam, si impedi-
menta illa, quae ei obstant, remouerint. Quomodo enim tum
temporis, carmen Edomitarum antiquissimum, Ebraeis facile in-
telligi poterat, quod moribus aequa, ac lingua ipsis diuersissimum
esse debebat? Num Ebraei librum Edomitarum, populi exter-
ni, cuius odio flagrabant, in catalogum eorum scriptorum retu-
lissent, quae Iouae sacra erant? Num denique solius argumenti
causa, an quia idem aeuum haec scripta tulerat, Hagiographis,
quae potissimum Salomonis atque aequalium ipsius scripta conti-
nent,

16) Cf. Enckelmannus de arte scribendi Ebraeis inuenta, in S. R. Hen-
ckii Sylloge dissertationum de philosophia religionis interpretatione V.
et N. T. atque de historia ecclesiastica Vol. III, Fasc. I.

nent, antiquissimus liber Iobi additus fuit? Omnis difficultas euanscit, simulac Iobum a temporibus Salomonis repetendum esse statueris, neque sensu quodam male securo dictus, summae antiquitatis speciem ei vindicare studueris. Haec hactenus. Primaria tantummodo argumenta, pro recentiori carminis nostri aetate commendanda, magis exponere et meo qualicunque iudicio examinare, quam origines omnis veteris Ebraeorum litteraturae confidere volui, hoc consilio, ut studia Virorum doctorum, quibus solis hac in re competit iudicium, ad hanc questionem de antiquitate scriptorum Ebraicorum ventilandam, denuo conuertentur. Quis enim est, qui litteris Orientis operam suam dicauit, quem non multum v. g. scire referat, an Vir Ill. Eichhornius eodem adhuc modo de Ebraicarum litterarum antiquitate statuat, quo de ea in Introductione ad libros V. T. iudicauit?

Causam vero haec praemittendi, dedit nobis indulgentia FREDERICI AVGVSTI, ELECTORIS SERENISSIMI, qua nobis, per *Viros summos*, in hac celeberrima litterarum fede, munus philosophiae publice docendae extraordinarium clementissime datum est. Vix verba gratis animi mei sensibus respondent, quibus huius insignis beneficii, per Sapientissimos IPSIVS Amicos collati, magnitudinem satis digne celebrem. Ut igitur pietatis officio erga PRINCIPEM SERENISSIMUM quodam saltem modo satisfaciem, *Viris Summis*, qui rebus meis tam benigne consuluerunt, debitas et intimas grates persoluam, *tis* quaeuis a Deo bona appre-
cer atque Academiae Patribus Venerandis fidem ac obedientiam spondeam, proximum diem Saturni constitui, antea de causis litterarum Ebraicarum nostris temporibus neglectorum verba facturus. Cuius diei sollemnitatem, ut *Vos*, Rector Academiae Magnifice, Comites Illustrissimi, Proceres Viriusque Reipublicae Grauiissimi, Commitiones Generosissimi atque Humanissimi Vestra frequentia augere atque exornare velitis, obseruantissimis precibus rogo et obsecro, simulque memoriam huius Vestri fauoris nunquam ex animo meo peritaram, sancte Vobis polliceor.

P. P. die Dom. XII. post Trin. fest. A. P. C. N. ccccxcix,

LIPSIAE, EX OFFICINA KLAEBARTHIA.

Fd 3348


ULB Halle
002 500 558

3



f
56.

Arb.



AD

NEM ADITIALEM

MENS. AVGVSTI A. CICIGCCXCIX

H. L. Q. C.

A V D I E N D A M

R V A N T I S S I M E I N V I T A T

F R I D E R I C V S R I C H T E R

C T. E T P R O F. P V B L. E X T R A O R D.

C.

De actate libri lobi definienda.